



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Virtvtvm Adeptione, Siue De Instrvmentis  
Assequendæ Virtvtis libellus R. P. Iacobi Alvarez De Paz  
Toletani è Societate Iesv**

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Coloniae Agrippinae, 1615**

§. 7. De Gratitude.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46634](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46634)

res, vt obedientia eos saluet, & in cœ-  
lum euehat, quos inobedientia dam-  
nauit. Amen.

*Li 10. p.  
3. per tot.*

De hac præstantissima virtute ex pro-  
fesso dicemus inferiùs.

*De Gracitudine. §. VII.*

**G**racitudo est virtus, qua beneficia,  
à proximis accepta, cognoscimus,  
laudamus, & data opportunitate, nec  
negata possibilitate, remunerare decer-  
nimus. Hæc comparata ad beneficia  
Dei non distinguitur à religione; &  
ideò inter actiones religionis retu-  
limus gratias agere Deo pro donis  
asceptis, & accipiendis ab eo. Et de  
hac ad Deum gracitudine fusiùs po-  
stea sumus acturi.

Incitamenta ad Gracitudinẽ sunt:  
I. Ingracitudo est peccatum, etiam a-  
pud homines abominabile, quo ho-  
mines viles & abiecti notantur, &  
ex illò, tanquam ex signo aperto vi-  
litate, ab omnib. cognoscuntur. Ha-  
bet quoq; pessimam originem, nem-  
pè proprium amorem, animæ nimitiũ  
dominantem. Vnde Apostolus cum  
dixit.

dixisset: *Erunt homines seipsos aman-* 2. ad Ti.  
*tes, addit: ingrati scelesti.* A Deo deni- 3. 2.  
 que punitur grauissimè. Quod signi- Pro. 17. 13.  
 ficat Salomon dicens: *Qui reddit ma-*  
*la pro bonis, non recedet malum de do-*  
*mo eius.*

II. Gratitude ad maiora beneficia  
 recipienda animum parat, omnes e-  
 nim volunt semina suorum bonorū  
 bonæ terræ mandare, id est, homini  
 grato committere Et Laurentius Iu-  
 stinianus ait: *Nullum officium referē-* Iust. de li-  
*da gratia magis necessarium, quia ma-* 2. de leg.  
*iora meretur suscipere, qui collata bona* 1. de iur. iur.  
*de corde non probatur delere.* Quare & 7 Chrys. b.  
 propter priuatā vtilitatem, quæ (vt 72. ad po-  
 Chryso. ait) in gratitudine ex maxi- pulum.  
 ma, deberemus hanc virtutem secta-  
 ri.

III. Gratitude ad homines, etiam  
 apud Deum in pretio est: vult enim  
 ipse, vt ei grati simus, & hominibus  
 etiam, per quos nobis beneficia  
 confert, animi gratitudinem ha-  
 beamus. Vult quidem ille, vt homi-  
 nes in dignitate constitutos, quorum  
 ministerio nos gubernat, honore-  
 mus,

mus, & honorem illis exhibitum aut negatum, sibi dari aut negari profite-  
tur. dicens: *Qui vos audit, me audit, &  
qui vos spernit, me spernit.* Et etiam iu-  
bet vt eis quorum liberalitate nobis  
beneficia confert, gratitudinis affe-  
ctu repensemus. Quamobrem in Ec-  
clesiastico recensens abominabilia  
peccata foeneratoris, vnum eorū est,  
Ecc. 29. 9. *quod pro honore & beneficio reddet cō-  
tumeliam.*

Actiones gratitudinis sunt: I. Be-  
neficium non negare, non dissimula-  
re, nō obliuisci, sed illud agnoscere,  
illud magnificare, & in memoria ha-  
bere.

II. Beneficiū & benefactorem lau-  
dare, & suspicere, & coram alijs,  
quid in nos boni cōtulerit, cū op-  
portunum fuerit existimatum, pu-  
blicare.

III. Erga benefactorem affectum  
amoris & æstimationis beneficij cō-  
cipere, & eidem beneficiorum dato-  
ri gratias agere.

IV. Beneficium honore & reuerē-  
tia erga benefactorem, & non solum  
æqua-

æqualibus, verùm & maioribus beneficijs, si potuerimus, repensare.

V. Sine vlla spe alterius beneficij recipiendi gratos, & beneficos in benefactores existere.

Postulatio gratitudinis: Domine Iesu Christe, qui quantum tibi ingratitude displiceret, illa querimonia de leprosis à te curatis, nec ad gratias referendas redeuntibus ostendisti: verba enim tua sunt: *Nonne decem mundati sunt, & nouem vbi sunt? Non est qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena:* da nobis, rogamus supplices, gratitudinis erga nostros benefactores affectû, quos ita in nos beneficos agnoscamus, & veneremur, vt præcipuè te omnium bonorum fontem ardentissimè diligamus. Amen.

Luc. 17.  
18.

De Veritate. §. VIII.

**V**eritas siue veracitas, est virtus, qua verbis, aut signis, & quando & quomodo oportet, manifestamus res ad nos aut ad alios pertinentes, prout in se sunt. Nō sufficit ad virtutē veritatis,

VL